

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema XIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

inferno redemit Hof. 13. vers. 14. Luc. 2. vers. 71. Vide etiam Coloss. 1. v. 13. & seqq.

2. Et sicut Iherusalem suam tanquam in humeris gestavit: ita Christianos suos, tanquam oves humeris impositos, ad Ovile Ecclesie deportat. Luc. 15. v. 5. Iniquitates etiam portavit. Esa. 53. v. 11. Infirmittates nostras tolerat. Ibidem v. 4. Matth. 8. Psal. 103. v. 3.

Sed & in omni vita nostra, tanquam infantes in vlnis baulat, Ego feci & feram, ad senectam & canos vsq; por-rabo. Esa. 46. v. 4. Esa. 40. v. 11. in sinu suo portabit agnos.

3. Vitam quoque suam filius Dei pro salute nostra reliquit, Esa. 53. v. 11. Ioh. 10. v. 15.

Atque sicut aquila, suum corpus objecit telis Satanæ, ne is posset nos pullos lædere. Hinc ipse Deus sanguine suo redemisse legitur Ecclesiam suam. Act. 20. v. 28. Et sanguis filii ipsius nos mundavit. 1. Ioh. 1. v. 8.

4. Neque vero tantum in Chanaan illud temporale, sed in Hierosolymam cœlestem, Hebr. 12. v. 22. Apoc. 3. v. 12. nos introducere vult: ubi non tantum mel & lac, sed læticia & delectationes in dextera Dei vsq; in finem. Psal. 16. v. 11. Oculus non vidit. Esa. 64. 1. Cor. 2. v. 9.

1. Docet hic locus gratitudinem, quam debemus Deo: necdem vobis dicatur quod Deut. 32. vers. 6. Illa consistit non in verbis tantum, sed in operibus pietatis.

2. Consolatur idem hic locus, omnes tentatos propter infirmitates suas, quod tanta patientia fert infirmitates nostras.

3. Solatium quoque multiplex hinc peti debet, quod liberatis nobis sanguine filii Dei, restat certa spes de possessione vitæ æternæ.

F I N I S.

THEMA XIII.

Gen. 39. v. 29.

Vtinam saperent & intelligerent, ac non ista sua prouiderent.

DISPO.

Vaticinatur Moses populo Israelitico hoc loco de euentus malis, & minatur ipsis, tempus aliquando venturum, vbi vnus hostis mille Iudæos sit in fugam acturus. Tantam fore trepidationem istius gentis, quæ alias satis fortiter in bellis pugnavit.

Licet autem hæc certo sint euentura, conqueritur tamen de illorum cæcitate & induratione, qui nihil eorum velint intelligere, quæ ad ipsorum vel temporalem vel æternam salutem facere possent. Gens, inquit, sine consilio est, sine prudentia.

Operatur igitur illis sanio rem mentem: vt sapiant, & intelligant, & provideant, quæ post ventura sunt. Et fere similis est locus hic dicto Christi, Luc. 19. Si cognouisses quæ ad pacem tuam pertinent, curares, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

Quia igitur non Iudæorum tantum, sed & omnium hominum salus corporalis & æterna in hoc consistit, vt intelligant & provideant nouissima, quæ non tantum in his terris, post multos annos, sed & post hanc vitam euentura sunt, agite charissimi, hæc verba diligenter excutiamus. Hoc enim est recte sapere. Et multi alacriori animo mortem se subituros dicunt, si scirent quid post euenturum sit.

Dicemus itaque. 1. Quomodo futuros euentus cognoscere. 2. Et quomodo mala euentura præcauere & auertere possimus.

I. Pars.

Quando de futuris euentibus loquimur, sobrie intelligenda verba nostra. Etenim multum in hoc peccatur etiam ab his, qui sibi pulchre sapere videntur.

Alii enim, qui non curant ea, quæ ante pedes sunt, tantum de futuris sunt solliciti: neque vero de his, quæ ad ipsorum salutem vel temporalem vel æternam faciunt, sed quæ curiositati ipsorum tantum seruiunt. Dum solliciti

circumquirunt, quid post multos annos de suis posteris futurum, an in honore & pretio habendi, an bona parca & relicta in potestate ipsorum mansura, &c.

Aut quis status Reipublicæ futurus, quinam futuri Magistratus, & similia multa. Hæc res etiam Nebucadnezarem tenebat sollicitum, vt videre est Dan. 2. v. 29.

Hæc parum profutura nobis, Deo commitenda sunt, & potius Dominus rogandus vt posteris beneficiat: & non auferat verbum ab ore ipsorum, iuxta promissionem Esa. 59. v. 21.

Alii quid de ipsis futurum sit, & quos habituri successus in his terris, quos inuenturi coniuges, quales habituri liberos, quando ipsis moriendum &c. ex astrorum positu volunt inuestigare. Contra quos Dominus illud Esa. 47. ver. 13. pronunciat, Saluente te augures cœli, qui contemplantur sydera & supputant menses, vt ex eis annuntiant ventura tibi, &c. videantur etiam sequentia, quomodo excretur Dominus istos (vt vocat) *negotiatores* vanos. Idem valet de his, qui ex Chiromantia, & nescio quibus diuinationum generibus, futura prædicere aut inuestigare conantur. Et patet ex loco Esaiæ, quod istud non sit *spere*, sicut Moses requirit, sed *desipere*.

Tales igitur euentus nec inquiri debent, neque etiam certo cognosci possunt. Quid igitur? Ea sunt cognoscenda & inuestiganda, quæ ad *pacem nostram faciunt*. Luc. 19. v. 42. In quibus salus animæ & corporis consistit, ea sunt inuestiganda, non quæ tantum ad explendam curiositatem faciunt.

Quomodo igitur & vnde cognoscere poterimus, quid sit euenturum nobis? Ex verbo Dei, quod est veritas, nec fallit. Ioan. 17. v. 17. Extant autem in scripturis talia *Prognostica* (vt vocant) innumera, & perpetua, ex quibus hæc sine omni difficultate possumus cognoscere. Duo maxime generalia & perpetua Prognostica inter cætera extant Leuit. 26. v. 3. & seqq. & Deuter. 28. per totum capitulum: ex quibus certo cognoscere poteris, omnes futurus

euen

eventus, primum quoad temporalia, vt bona corporis, sanitatem, &c. & fortunæ, diuitias &c. Summa hæc est:

Si obedieris, Benedictus eris tu & posteris tuis.

Si non obedieris, Maledictus tu & omnia tua.

Deinde sicut temporalem vel benedictionem vel maledictionem inde potest cognoscere, ita etiam quid tibi post hanc vitam euenturum facile poteris conicere. Si non obedieris perecutiet te cæcitate. Eam quid sequatur patet Esa 6. v. 19. vide ibi. Et hoc ipso loco Deut. additur. *Servies dñs alienis.* Anima autem quæ fecerit hoc, eradicabitur. Deut. 7. vers. 1. Contrarium itaque eueniet his, qui obediunt voci Domini Dei sui: de his Leuit. 26. *non abiciet vos anima mea,* &c. Possunt hæc omnia explicari latius & diduci per partes. Probat vnusquisque opera sua, & facile assequi poterit, quid ipsi in hac vita & post hæc vitam sit sperandum. Et quid etiam de posteris sit futurum. Plura scire nemo delideret pius.

II. Pars.

Neque vero hoc tantum est sapere, si futuri euentus cognoscantur, sed magis illud, si mala ventura auertantur & præcaueantur.

Hoc enim vocat Christus, curare quæ ad pacem faciunt. Quomodo id fiat, iam etiam paucis expediendum, quia ex prædictis hæc facile innotescunt.

1. Ambulandum in præceptis Domini & obediendum voci illius, & salua res erit. Sic non timendum exitium, vel corporale vel æternum. Si enim maxime perieriam exerceantur calamitatibus, sunt tamen illæ salutare, quæ docent orare, &c. Esa 26. v. 16. Psal 119. v. 71. Bonum est mihi Domine. Nec auferunt *πρωλες* istæ correptiones paternæ.

2. Quod si omnino peccauimus, vt sane semper necesse est nos fateri cum Daniele, Peccauimus, iniquitatem fecimus, &c. Dan. 9. vers. 5. & seqq. Nec est homo qui non peccet 1. Reg 8. vers. 49. tamen mox per poenitentiam

cum Deo redeundum in gratiam. Standum contra ipsum ex aduerso, & opponendus murus. Ezech. 13. ver. 5. Interponenda sepes Ezech. 12. ver. 30. Sic enim ipse mentem suam declarat, Jerem. 18. ver. 7. Repente loquor. &c. Exemplo sunt Niniuitæ. Jon. 3. v. 10.

Quod si non plane auertatur pœna, paterne tamen agit, nec vltra vires tenet fidelis Deus. 1. Cor. 10. ver. 13. Vide etiam 1. Cor. 11. v. 31. Et Hierem. 30. v. 11. & 46. v. 28. Esa. 29. v. 26. Non autem procrastinanda pœnitentia, ne exardescat furor. Deut. 32. v. 22.

F I N I S.

THEMA XIV.

Deut. 32. v. 39.

Ego occidam, & viuere faciam: ego percuriam & sanabo: & non est qui de manu mea possit eruere.

DISPOSITIO.

Hæc verba pauca pars sunt Cantici illius Mosaiici, quod ante discessum suum ex hoc mundo coram toto Israele recitauit, vt haberet populus sic quasi compendium totius doctrinæ Mosaiicæ. Continet enim hoc carmen commemorationem beneficiorum, quæ Deus contulit Israelitis: & vicissim peccatorum populi, atque ingratitudeis erga Deum.

Quam sequuntur vaticinia, quæ continent comminationes grauissimas, quas exprimit Moses, introducens Deum ipsum loquentem.

Vt autem intelligant Israelitæ, rem serio agi, nec posse ipsos peccantes effugere manum Dei vlttricem, hæc immiscet verba quæ legimus: quibus Dei potentiam, quam nemo hominum vel angelorum possit infringere, insinuat.

Quia autem hæc est vox Dei omnipotentis quam audimus, erunt singula verba accurate obseruanda: deinde etiam quid nos moneant, considerandum.

C

Textus.